



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 69. Sixti Betuleii extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.
A.C. 1554

§. LXIX.

Sixti Betuleji extrema.

*Thu hist l 13
Crusius in
annal l. 11. p 1
Melch. Adam
in vit. Phil.
Germ.*

Inter Scriptores hoc anno defunctos recensentur adhuc alii, ac quidem primo loco Sixtus Betulejus, vulgari nomine Germanico Birck dictus, atque Memmingæ in Suevia Anno Domini millesimo quingentesimo natus. Hic tantum in humanioribus literis, ac Philosophiæ studio progressum fecerat, ut non sine applausu hæcæ disciplinas publice traderet, atque Collegii Augustani Rector nominaretur, illudque per sexdecim omnino annos cum magna laude administraret. Porro cum poeticæ artis admodum studiosus esset, hinc comicas Susannæ, Judith, ac Josephi historias plurimum celebratas componere aggrediebatur, suaque doctrina egregie imbuebat Discipulos tanto Magistro dignos Wolfgangum Musculum, & Guilielmum Xilandrum, qui hujus viri merita ubique plurimum deprædicabant. Præter hæc opera Sixtus etiam conscripsit Harmoniam in novum Testamentum Græcum, necnon annotationes quasdam in Sybillarum carmina, atque in Lactantii libros, prout etiam Commentarios in libros Ciceronis de Officiis. Obiit Augustæ hoc anno salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquage-

quagesimo quarto die decima nona Junii, postquam itidem quinquagesimum quartum ætatis annum, tres menses, & viginti sex dies emensus erat, sepultusque est perhonorifice a Joanne Baptista, & Paulo Haintzeliis fratribus ejusdem Discipulis.

Sæcul. XVI.
A. C. 1554.

§. LXX.

Simon Portius hoc anno mortuus.

Alter erat Simon Portius natione Neapolitanus, qui in patria sua, cum quinquagesimum septimum ætatis suæ annum ageret, mortuus est. Magistrum is habuit Pompanatium celeberrimum suo ævo Philosophum, hoc tamen Præceptore suo Portius evasit in eo superior, quod ad Peripateticæ scientiæ, quæ tum modo satis barbaro tradebatur, cognitionem plurima linguæ Græcæ, ac humaniorum literarum ornamenta adjecerit: cum vero Aristotelicæ doctrinæ plus justo tribuere videretur, Pompanatii Magistri sui erroribus de natura animæ, atque intellectu humano accedere credebatur. Præterea Pisis, ubi publice scientias tradebat, historiam de Piscibus scribere aggrediebatur, allato autem libro Guilielmi Rondeletii, qui Guilielmi Pelisserii Episcopi Montpensulani commentarios secutus, circa idem argumentum calamum suum exer-

Thuan. l. c.

H 3 cuerat,